

12,
Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
SVDORIFERIS

quam
CONSENSV ET AVTORITATE

ILLVSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACVLTA-
TIS MEDICÆ TENENSIS
P R Æ S I D E

I. HADRIANO SLEVOGTIO

Hæreditario in Ober-Rossla

Medic. Doct. Anatom. Chir. & Botan. P. P.

Med. Provincial. Ducal. Saxon.

Patrono suo, Præceptore ac Promotore
de-venerando

PRO LICENTIA

INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

MORE MAJORVM CONSEQVENDI

publico eruditorum examini sistit

JOAN. ADAMVS ALLMACHER

Mœno-Francofurtensis.

IN AVDITORIO MAJORI

Horis ante- & pomeridianis.

Ad diem XV. Aprilis, M DCCII.

EN Æ Literis MULLERIANIS.

31.

V I R I S
NOBILITATE GENERIS PRVDENTIA
CONSIPIO ET AVTORITATE
eminentissimis, amplissimis spectatissimis
DOMINIS
BVRGGRAFIIS
CVRATORIBVS
ILLVSTRIS ET PER VETVSTÆ
SODALITATIS

Des Frauensteins /

in libera ac imperiali civitate

FRANCOFVRTI ad Mœnum

MECOENATIBVS PATRONIS
ET FAVTORIBVS MEIS
splendidissimis, gratiosissimisq;

dissertationem hanc inauguralem

ca

qua par est

submissione & observantia consecrare
volui

JOANNES ADAMVS ALLMACHER.



J. N. J.

DISSERTATIO MEDICA
INAVGVRALIS

DE

Sudoriferis.

§. I.



Vdorifera dicuntur quæ sudare faciunt. Audiunt etiam vulgo *Diaphoretica*; quod latine sonat discutioria, seu discutiendi vim habentia: eo quod sudorifera resolvendo & discutiendo sudorem provocant: à verbo *διαφορέω* discutio, divello, diffuo, & *διαφορησις* immodico sudore exhaustior & resolor, seu sudoribus diffuo: unde & *διαφορησις* est ipsa actio discutiendi & digerendi, & specie ille sudor, qui cum resolutione & colliquatione totius corporis habitus viriumque langvōre, & tandem facie Hippocratica contingit, *sudor diaphoreticus* dicitur. Sed in scholis medicis tantum in laxiori significatione *sudorifera* & *diaphoretica* sunt *synonyma*: strictiori vero vocis acceptione differunt omnino gradu operationis, & secundum magis & minus: dum illa *sensibiliter* magis humiditatem, sub guttularum, specie, ad superficiem corporis propellunt; hæc per *δια-*

DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS

Φόρηται five διαπυλώ αἰθρον, serum, in vaporem conver-
sum, minus sensibiliter evacuatur. Unde κατὰ χεστίνος le-
noria sudorifera diaphoretica, & fortiora diaphoretica sudo-
rifera dicuntur. Accuratus vero hæc à Casp. Hoffman-
no, *Inst. lib. 5. c. 54. §. 3.* audiunt ἰδρωμα, ab ἰδρῶς ὠτθ, fi-
dor, unde ἰδρωμα fudo, & ἰδρωμας fudatio. ἰδρῶς vero, mu-
tato spiritu, ut Lexicographi tradunt, deducitur ab ἰδρῶν,
quod sudare, & dum effectus pro causa sumitur, etiam la-
borare significat. χυμα & διαχυμα etiam quibusdam,
sed paulo rarius vocantur, quasi dicas fundentia & per-
fundentia. Alio nomine, sed itidem rarius, nuncupantur
etiam ὀρρωμα, à vocabulo ὀρρῶς; (unde & ὀρρῶδες &
ὀρρωδης serofus) quod proprie serum lactis, seu partem e-
jus aqueam denotat, quare propter insignem analogiam,
quam serum sanguinis cum sero lactis obtinet, etiam huc
est tractum, & Galenus, *lib. 2. ad Glauc.* serum sanguinis,
quod alias etiam ἰχωμα nominatur, appellavit αἰμαθ, ὀρ-
ρωμα & ab aliis hæc excretio, feri, per cutim facta, περρι-
τωμα ὀρρωδες appellatur; unde & medicamenta, per sudo-
rem serum hoc evacuantia, ὀρρωμα dicuntur.

§. II.

Sudorifera, in latiori significatione, sunt medicamen-
ta, e triplici regno petita, quæ partim humores C. H. at-
tenuando & fundendo, partim eosdem precipitando, ab-
sorbendo, acidumque ligans invertendo; partim poros
cutaneos, aperiendo & laxando; sanguinisque circula-
tionem & calorem augendo, naturæ ministrant, ut serofum
M. sanguineæ excrementum, eidemque in hærentes salis
& sulphuris portiunculas, aliaque peregrina corpuscula,
in corpore genita, & exterius eidem illata, sanitati vel ob-
futura, vel actu jam varios affectus excitantia, per arteri-
as capillares ad glandulas cutaneas propellat, in quibus,
per mechanicam harum structuram, à massa sanguinea
sequestrata, exinde per tubulos excretorios, & cutis po-

ros, vel sub insensibilis vaporis forma exhalant, vel sensibilibus liquoribus specie prorumpunt, idque tam pro sanitatis conservatione, quam morborum depulsiōe.

§. III.

Cum autem *evacuantium* multa genera recensentur, *Sudorifera*, nempe *Diuretica*, *Vomitoria* & *Purgantia*, *salivam* ipsumque *sanguinem elicentia*, & singula eum in finem adhibeantur, ut varii generis humores vitiosos per loca convenientia; & quo natura vergit, eliminent; sudorifera merito inter *evacuantia universalia* referuntur; quia materiam peccantem universaliter ex tota massa sanguinea corporisque habitu educunt. Unde cum diureticis maximam convenientiam habent: dum sudoris & urinæ, una fere eademque est materia, idemque generatōnis modus, juxta *Galen. c. 13. de sudore & lib. 10. de simplic. medicament. facult.* & per renes cutisque spiracula ferum, suo munere in corpore defunctum, quod antea erat *ὄχρημα τῆς τοῦ σώματος*, tanquam superfluum, & alendo corpori minus aptum, educitur, & simili ratione humor, qui per vias urinarias evacuatur, etiam in sudoris forma expellitur.

§. IV.

Et hæc causa esse videtur, cur quædam sudorifera diuretica evadant, & contra; vel etiam per utramque viam operationem suam perficiant. Quatenus secundum *Francisc. de le Boe Sylvium, in meth. medend.* sudorifera & diuretica gradibus tantum differunt, ut potentiora & humores minuendos educendosque magis agitantia & solventia sint *sudorifera*, minus vero efficacia *diuretica*. Hinc etiam qui largius sudant, parcius mingunt, & sudores criticos urinæ suppressio quandoque antecedit: pariter & æstivo tempore, calore aëris ferocissimum excrementum per cutis meatus evocante, rarior urinæ emissio contingit: imo ubi in p. n. statu à calculo ureteres sunt ob-

structi, ut urina per eos ad vesicam transire nequeat, ab ista ad cruoris massam, & per poros cutis guttatim stillat. Contra vero sudoribus suppressis urina largior profluit, quo modo etiam per urinas morbi acuti quandoque judicari solent, & hyemali tempore, frigore poros cutis constipante & exhalationem serosi humoris prohibente, frequentior & copiosior mictus observatur: dum quod in una excretionem deficit, per alteram compensatur. Ex hisce nullum restat dubium, quin, respectu humiditatis, sudoris & urinæ eadem sit origo & insignis convenientia, & recte Galen. c. 2. de atrâ bile, illam humiditatem quam alii serosam, alii aquosam nominant, urinam esse & sudorem aperte testetur: quamvis quoad reliquas particulas constitutivas, & inde ortam consistentiam, ac alias qualitates secundas tertiasque, pondus scilicet, saporem, odorem & colorem, satis manifeste à se invicem discrepent.

§. V.

Materia itaque per remedia sudorifera evocata, quæ interdum à natura ipsa sibi relicta, elicitur, est maxima sui parte tenuis ac serosa humiditas, sanguini antea mixta, juxta Galenum, de definit. medic. c. 2. ex aëre & aquosa esculentorum & potulentorum substantia protecta, quæ in statu naturali in corpore varios usus præbet, dum cibis feliciter digerendis ac dissolvendis, chylo & massa sanguinæ diluendis, ut per angustissima & capillaria vasa devehî possit, ministrat, & tandem cum in corpore suo officio functa est, à sanguine sequestrata materiam potissimam urinæ atque insensibili expirationi, & hinc pro re nata etiam sudori præbet.

§. VI.

Neque tamen hoc serum mera aqua est, sed simul aliis particulis imprægnata. Cum enim in vasis sanguinis individuus comes sit, & una cum eo circuletur, omnium humorum tincturas simul recipit, præcipue vero, particulas

ticulas salinas omnis generis imbibendo, aptum redditur, ut quoque portiones sulphureas & biliosas absorbeat, variæque vitiosæ recrementa, una secum rapiat, quæ alias in corpore restagnantia, multis in toto corpore partibus insidias struunt, quarum longum catalogum Carol. Pifo, *de colluvie serosa*, & Joh. Theod. Schenckius, *de sero sanguinis*, imprimis vero Conrad. Victor Schneiderus, in vasto *de catarrhis* opere, satis prolixè recensent.

§. VII.

Non vero quivis promiscue humores per sudorifera evocantur, & raro cutis sanguinem, bilem aut pituitam viscidam, sed ferum potius aqueum, salsum, acidum, & austerum, biliosum item & subinde cruentum, ac plus minus glutinosum, inque arenulas cogulabile fudat. Emergeunt inde diversi colores & odores sudoris, particulasque salinas simul evacuari, præter alia satis probat pruritus, erumpente sudore interdum accidens. Cum autem humores crassi & glutinosi ad excretionem minus idonei existant, prius debent attenuari, quo facilius per sudorem expelli queant. Id quod etiam circa varietatem humorum educendorum notandum est, ut pro diversitate qualitatum secundarum atque tertiarum, ac pro ut caractere peregrino, maligno & venenato imbuti sunt, diversa quoque sudorifera feligantur, quæ, præter vim hidroticam, simul quoque alias facultates habeant, ex. gr. vim alexipharmacam, putredini & corruptioni resistendi, attenuandi, liquandi, aperiendi, absorbendi &c.

§. IIX.

Qua verò vi & facultate sudorifera operationem suam perficiant, jam inquirendum est, & an solum manifestis qualitibus, aut etiam occulta ratione, seu ex tota sua crassi & substantia agant. Ubi tamen per *occultam qualitatem* hic neutiquam merum aliquod ignorantie asyllum, sed talem remedii alicujus dispositionem intellectam

volumus, ut in ipsa particularum constitutivarum structura singulare quippiam lateat, unde singularis ad hoc vel illud operandum in corpore humano efficacia venit, quæ non adeo statim sensibus externis est pervia, vel à priori manifesta, sed demum ab ipso effectu potius, seu à posteriori cognoscenda. Et hujus dicti veritas sicuti satis aperte in purgantium & vomitoriorum operatione perspecta est, ita quoque circa sudoriferorum quorundam effectum non omnino neganda esse videtur.

§. IX.

Per manifestas autem qualitates operantur *calida*, sive actu sive potentia & per accidens talia sint. Caloris enim est attenuare & motum sanguinis, tam intestinum, quam circularem accelerare, poros cutis aperire, cutem emollire, & si qui sunt alii caloris effectus. Vim vero caloris in sudoris productione magnam esse, facile exinde patet, quod in corpore humano, etiam sanissimo, continua fit humidi à calido exhalatio atque diffusio. Quare caloris maxima est necessitas, ut in excitando sudore artificioso etiam frustra sudoriferum exhibeatur, nisi corpus in loco calido simul detineatur, aut motus succedat. Rursusque observamus, ut sudorifero, in corpore actionem suam exerente, sanguis celerius circuletur, & pulsus sudantium celerior & frequentior, mollis tamen evadat, ipsique sudantes actu sentiant corpus illorum magis astuare, quod etiam hac loquendi formula exprimere solent: Das medicament mache ihnen ganz heiß. Præterea propulso magis ad ambitum sanguine, habitus corporis colore rubicundo suffunditur, & simul exseri: halitus mollior & suffuscentia ejusdem insequitur.

§. X.

Inter actu calentia sudorifera quædam sunt interna, quæ ore assumpta M. Sex admiscuntur: quædam externa, quæ alia quacunque ratione corpus humanum
ejus-

ejusque humores afficiunt. Illorum materia iterum est modo simplicior, modo per artificiosam congestionem, remedium aptorum concinnata. Simplicissimum hidroticum est aqua calida, largiter pota; quæ longe efficacior fit, si vel à natura ipsa, vel ab artifice virtutibus aliarum rerum acuatur. Prius deprehendimus in thermis, posterius vero in decoctis lignorum, alexipharmacis, cum hordeo, scorzonera, C. C. aliisque paratis, infusis thee coffe, similibusque calide bibendis. Inter externa primo loco stat calor lecti, ubi per stragula effluvia, ex corpore manantia, retinentur, ne diffugiant, sed ad cutem repercussa ejus poros magis pandant, fontesque sudoris tandem aperiant. Id quod etiam infusiones in aqua calida pura, aut virtute herbarum imprægnata, nec non thermæ omnis generis, & balnea laconica præstant, ubi vel vapores aquæ medicatæ dulcis, vel decocti alicujus, spiritus item vini accensi, nunc simplicis, nunc vero viribus medicatis imbuti, suffitusque ex rebus aliis accensis nudo corpore excipiuntur. Quæ omnia partim propter solum calorem sudorem movent, partim etiam quatenus particula quædam poros cutis subeunt, & sic efficaciam suam in massam sanguineam exerunt. Inprimis autem & magna est aëris vis. Hic enim, cum frigidissimus existens, per motum corporis crebro in pulmones admissus, & exinde iterum expulsus, sanguinem commoveat, excitesudoremque excitet: id ipsum multo potentius præstat, ubi ab igne in conclavi, aut sub dio à sole incalescit, aut denique ab exhalationibus terræ ita disponitur ut sudoribus eliciendis fiat aptissimus. Memorabilia ejusmodi sudatoriorum utriusque Indiæ exempla in prolusionem inauguralem congestit, D. D. Præses, dissertationi de sudoribus D. D. Pillingii præfixam.

§. XI.

Reliqua sudorifera, respectu effectus, quem in corpore edunt,

edunt, vocabimus *potentia calida*, (supponentes ex §. 9. sanguinem à sudoriferis plus minus in motum cieri atque calefieri) quæ licet frigida usurpentur, actu calentibus tamen haud multo inferiorem effectum edunt, & multiplicis sunt generis: humida scil. vel sicca, aquea, salina, sulphurea, terrea &c. fixa item volatilia, aut media, rursusque nunc simpliciora nunc composita magis, mitiora, fortiora &c. Ex his primo loco recensēbimus ea, ubi *aqueum principium* eminent, & κατ' ἐπιχλω̄ *humida* existunt. Sicut enim seri sufficiens quantitas requiritur ad sudoris & humidi profectionem, & sine ea frustra de sudore movendo cogitamus; ita medicamenta, *humorem subministrantia*, etiam sunt sudorifera, idque eo magis si particulis activis salinis, vel sulphureis simul sint prædita; vel si sibi relicta minus sint activa, tamen ut vehicula comoda aliorum vim agendi promovent ut facilius sudor insequatur. Huc pertinent aquæ destillatæ, v. c. card. B. Mar. scorzon. flor. sambuc. galeg. fumar. scabiosæ &c. vel etiam compositæ variæ sudoriferæ, bezoardicæ, theriacales, prophylacticæ, item potiones, emulsiones ex recentis aquis, cum seminibus, ad eas commodis, paratæ: nominatim ex semine card. B. citri, napi, aquileg. papav. alb. sem. 4. frig. maj. amygdal. quæ præcipue in intenso februm astu, in variolis & morbillis, calore urente & acri urgente, sensim repetita sobillatione successive sudorem proliciunt. Talia enim substantiſſe humectant, & ferum, quod à calore nimio absumitur, spissescit, & sanguini quasi incoquitur, diluunt & novum illius proveniunt refarciunt, simulque nimium æstum temperant; & sic sequestrationem heterogeneorum, quæ alias non fieret, ad ambitum corporis promovent. Hinc etiam sudorifera in forma liquida facilius operantur quam sicca, dum citius penetrant ac humores fundunt, & sero materiam præbent, sine cujus sufficiente quantitate non tantum

sudor

sudor elici non potest, sed etiam in febribus calor auge-
tur, & redditur acris, mordax; partes igne quasi atneo
sicantur, quod in lingua & faucibus quandoque appa-
ret, sitis invalescit, gravissimum in ejusmodi morbis tor-
mentum, vigiliæ atrocius urgent, hinc insequuntur tan-
dem deliria, motus convulsivi, imo mors ipsa. Unde
patet, male illos agere, qui in ejusmodi febribus ægro
omnem potum interdiciunt, ut sero nimis spiffescente, fu-
dor elici vix possit.

§. XII.

Mirum est, potum frigidum, corpori æstuanti copi-
ose infusum, sudorem ingentem statim ciere, ut totum
corpus eodem quasi diffuat. Causam quidam reddunt,
quod is tunc statim evaporet, & in halitus per universam
corporis peripheriam diffundatur, ac si lateri candenti a-
qua affunderetur. Sed an in stomacho talis subitanea
evaporatio fieri, ac per tot viscerum tunicas, musculos
& tegumenta, tam brevi tempore contingere possit, val-
de dubium est. Hinc aliis probabilius videtur, assum-
tum potum celerrime è ventriculo & intestinis per va-
sa lactea cor subire, inde rapidissimo cordis motu, & pulsu
celeriore, qui in æstuantibus manifeste observatur, ad ha-
bitum corporis ocyssime propelli, & per poros, propter
calorem patentem, emanare. Sed nec hæc sententia ple-
narie satisfacere potest. Si enim vel rapidissimus motus
concederetur, tamen mora quædam requireretur, usque
dum per viam tam longam & tot ambages, ad ambitum
corporis pervenire posset, & sic non nisi post temporis
quoddam intervallum, sudor appareret. Veritati itaque
apud alios consentaneum magis est, potum frigidum non
solum ventriculi, & reliquarum partium membranarum,
ipsiusque cutis tonum laxare, ut pororum apertio inde
sequatur; sed etiam eosque refrigerare sanguinem, ut
ipsius partes fibrosæ ad se invicem accedant, serosaque,

inde quasi exclusæ, in ambitu corporis è poris laxatis sua sponte elabuntur. Quo minus vero dubia sit sanguinis coagulatio, numerosas noxas, potum frigidum, æstuantî corpori copiose ingestum, nisi statim corpus valide exerceatur, ex Mindereri medicina militari in medium producunt. Cæterum de frigidi potus usu, & adhibendi modo in febribus ardentibus, videri possunt Galenus, Forestus, Amatus Lusitanus, Hermannus Grube, aliique.

§. XIII.

Diximus §. II. sudorifera volatilia, media & fixa esse: videbimus igitur singula seorsim. Volatilia sunt vel talia, quæ potissimum ex partibus salinis volatilibus alcalinis, vel simul oleosis constant, & attenuando, rarefaciendo operantur, sudoremque potentissime movent, e. g. sal volatile & spiritus *ci, cum aqua simplici & ¶ paratus, C. C., Eboris, urinæ, viperarum, fuliginis, clyffus ⚧ij Sæus, ~ de tribus, liquor C. C. succinatus, ~ flor. samb. putrefactorum urinosus &c. Alia in sua substantia copiosius & concentratius sulphur ac ⊖ volat. soventia, camphora scil. & olea destillata, majorem corpori calorem conciliant, quam puriora salia volatilia: siquidem unicum granum istius, aut horum una guttula plus calefacere solet, quam decem grana salis volatilis.

§. XIV.

Medii generis sudorifera gaudent particulis salinis alcalinis, salis nitrosi & ammoniacalibus, nec non sulphureis, sed minus explicatis, & cum terreis gummosisque adhuc intricatis. Prioris ordinis sunt alcalia fixa, ex plantis per incinerationem parata, e. g. sal absinth. card. B. centaur. minor. &c. Ad salia & introla pertinent, ⊕ ⚧iat. arcan. duplic. ⊕ ⊕ latum. Ammoniacalia sunt ⊖ *cum ejusque flores, simplices & ⚧les, una cum salibus,

§. præ-

DE SUDORIFERIS.

§. præcedente laudatis, per acida, v. g. \ominus aut \oplus ad fixitatis alicujus statum deductis.

§. XV.

Huc quoque trahi debent, *sulphurea spirituoſa volatilia, acidis tamen caſtigata*, & acida ipſa, cum terreis gummoſis ac reſinoſis remixta. Qualia ſunt Mixtura ſimplex, egregium certe & laudabile in pluribus caſibus ſudoriferum; Tinctura bezoardica, \sim u \ominus is ſtriato ſaturata, aceturum vini cum oculis cancri propinatum, aceta item theriacalia prophylactica. Certum quidem eſt, acida per ſe ſudorem non movere, quod ſi tamen conjunguntur ſpirituoiſis, partim eorum nimiam volatilitatem coercent, & in morbis præcipue malignis, maſſæ ſanguineæ reſolutionem intentantibus, eandem præcavent, ut, quando à volatilibus & ſpirituoiſis viſ ſudorifera & fermenti maligni excluſio ſequitur, ab acidis adjuñctis maſſæ ſanguineæ juſta conſiſtentia facta recta conſervetur. Ipſa etiam acida, ſi cum volatilibus juncta in falſa ammoniacalia mutantur, ſerum in coagulum abituriens reſolvunt, cum alias ſibi relicta coagulent. Ita pro reſolvendi ſtatu, in caſu ab alto, videmus oculos cancri cum aceto exhiberi, unde ejus acor manifeſte infringitur, & in fal quoddam medii generis abit, ſimulque ſulphur vini, hæctenus ligatum, iterum in ſtomacho ſit ſui juris, & M. Seam non tam coagulat, quam fluxilem reddit, ejusque ſtagnationes expedit.

§. XVI.

Sulphureo terrea & gummoſa exhibent radix chinæ, contrajervæ, ſarſaparillæ, dictamni, ſcorzonæræ, gentianæ, zedoariæ, angelicæ & radices aliæ, amaro ſapore præditæ: lignum item ſaiſſafras & ſanctum (cui diverſimode præparato, & diætæ celeberrimus Jünken, in *compendioſa meib. therap.* incurabiles fere morbos ſanandi facultatem tribuit) carduus B. galega, ſumaria, ex qui-

bus decocta varia, essentia & tinctura parantur. v. g. essentia lignor. fumar. pini, theriacalis, (quorum etiam Ra. Sij ¶ sata spectat) quæ in sero absumendo, stagnatione ejus impedienda, sanguine purificando, in morbis præcipue chronicis, catarrhis; lue venerea, scabie &c. singulariter efficaciam suam, usu præcipue continuato, exerunt. Huc etiam referuntur rob sambuci, ebuli, juniperi &c. flores ¶ is, lac ¶ is, & alia hisce similia, quæ pro diverso volatilitatis vel fixitatis gradu, modo ad volatilia magis, modo magis ad fixa pertinent.

§. XVII.

Post horum omnium familias inter *sudorifera media* recitanda veniunt mercurialia, e. g. cinnabaris, cum nativa, tum antimonii, item mercurius diaphoreticus s. & compositus, O ris, Y ris, quæ serum fundendo & fluxile reddendo, dissipationem exclusionemque ejus promouent, & in illis morbis, ubi id spissum & glutinosum est, commodissime usurpantur. Quapropter & in peste aliisque morbis malignis, quando vel ob stasim, vel visciditatem seri, sudor nullus à medicamentis obtineri potest, volatilia urinosa, mercurialia ac cinnabarina prudentissime frudentur. Notabilis hic videtur locus, quem habet celeberrimus Rosinus Lentilius, in *Miscell. Med. Curios.* de D. Kramerio, mercurialium medicamentorum insigni fautore, eum omnibus fere mixturis addidisse mercurium dulcificatum, pro incidendi, resolvendi, confortandi scopo, imo alexipharmacam ei attribuisse virtutem, in febribus malignis summe suspiciendam, eumque in febribus feliciter curandis, salivæ potissimum fluxilis reddendæ curam habuisse; subjungitque idem, ingens in hoc latice momentum situm esse, magnamque reportandæ victoriæ spem affulgere, quamprimum salivæ fontes & tubuli, antea obstructi, referentur, quod etiam aliquot exemplis, ex febre maligna decumbentium, demonstrat. Cum enim

enim salivæ lentor & visciditas de universæ massæ sanguinæ simili statu testentur, & mercurialia maximam feri fundendi vim possideant, fluxili reddito sero, fermenta peregrina, massam sanguineam turbantia, inde facilius abscedere, & per sudorem exterminari possunt.

§. XIII.

Ad medii generis sudorifera referuntur etiam theriaca, theriaca Andromachi, celestis, diatessaron, mithridatiū, ovietanum, diafcardium Fracastorii, Sylvii, & quæ sunt hinc similes compositiones sudoriferæ & alexipharmacæ. Ubi non immerito quæritur, qua ratione mithridatiū & theriaca sudorem moveant? Walæus; in *meth. med.* Svalvve, in *disquisit. therapeutic.* aliique ratione opii hoc præstari asserunt, quibus etiam illustris ac magnific. Wedelius, patronus, hospes ac præceptor meus, omni obsequiorum & honoris cultū ad cineres usque devenerandus, in *Amenit. M. M. lib. 2. sect. 2. c. 3. p. 326.* accedit; provocatque Walæus ad experientiam, *theriacam sine opio sudorem non movere*, Drachmam autem unam theriacæ granum unum opii circiter ingreditur, vel secundum computum, à me institutum, ad grana 76. theriacæ granum opii recipitur, & reliqua ingredientia, per se in tali dosi sudorem vix cient, cum vel plane non sint sudorifera, vel non admodum valida. Unde quamvis celeberrimus Frid. Hoffmann.; *meth. med. L. 1. c. 11. p. 151.* recte existimat, miserrimum fore theriacæ usum, si vim suam sudorificam soli opio deberet; opium tamen sudoriferum præcipuum, & in minima mole multum agens in tota compositione existit.

§. XIX.

Hac occasione commode disquiritur, qua ratione opium vim suam sudoriferam exercent. Cum ab illustri Wedelio sudoriferorum apex nominetur, & Walæus, *meth. med. p. m. 151.* id inter sudorifera excellere dicat. Videtur autem partim per se, partim per accidens hoc præstare, &

quidem per se, ratione salis suis volatilil, cum sulphure intime combinati; unde sulphur ejus resolubile humores quidem figit, à sale vero volatili id, quod tenuius super est, propellitur, & per cutim expirat. Hinc ab opio quandoque ita perspirabile redditur corpus, ut sudor ejus odorem redoleat: unde & Dioscorides, *lib. 6. c. 6.* inquit, odorem opii in toto corpore expandi: de quo videatur *Opiologia lib. 2. sect. 1. c. 4. tot.* Per accidens vero id facit, quatenus somnum accersit: jam vero somnus omnes excretiones, præterquam sudorem sistit; dum blando sopore ligatis spiritibus animalibus, & vehementiori eorum ad fibras cutaneas influxu, & hinc orta partium cutanearum tensione, præcipue in doloribus, coercito, contingit, ut pori cutanei facilius aperiantur & laxentur, & sic serum facilius elabatur. Non vero per se sola adeo commoda sunt opiata, quam si aliis sudoriferis maritentur, ut ea opio vigorata efficacius sudorem propellant, observatis simul illis cautelis, quæ alias in opiatorum exhibitione requiruntur.

§. XX.

Tertio loco sunt diaphoretica fixiora, alcalina, terrea, calciformia, usta, alio nomine præcipitantia & absorbentia dicta, quæ, etsi quoad primum aspectum, particulas activas vel nullas, vel paucas obtineant, nihilominus tamen effectum suum per sudorem manifestum exerunt, vel ad minimum corpus ad diaphoresin disponunt. Talia sunt alcalina fixiora, v. g. oculi cancri, C. C. philosoph. præparat, bezoar uterque, tam orientalis, quam occidentalis, terra sigillata quævis, unicornu verum, fossilè, ebur s. præparatum; testacea, uti sunt conchæ marinæ, nostrates; calciformia, ut ðium diaphoreticum, bezoardic. Ore, zale, Gale, sudoriferum maximum Fabri; usta, uti C. C. ustum, ebur ustum; vel etiam terrea & adstringentia, uti sunt radix bistortæ & tormentillæ. Ad hanc clas-

classẽ etiam referuntur, pulveres bezoardici Sennerti, Rolfincii, Wedelii, Ludovici aliorumque, pulvis pannonicus ruber, pulvis Sabaudicus, pulveres absorbentes & præcipitantes, item magisteria, ex fixioribus hisce concinnata. Et hæc quidem omnia, etsi ultra ventriculum seu primas vias, vires suas vix extendere videantur (nisi forte aliorum spirituosorum vehiculo ad penitiores corporis recessus deferantur, vel ab ipso menstruo ventriculi resolvantur &, ut ita dicam, volatilifentur) tamen manifestum in ambitum corporis sudorem excitant: id quod acidum absorbendo facere, communissima est eruditorum sententia, quod terrea ejusmodi acidum, in primis præcipue viis obvium, aggrediantur, absorbeant & invertant, unde serum à vinculis suis, quibus antea detinebatur, liberatum, facilius postea à complexu sanguinis secedat, & sic sudor insequatur. Præterea vi sua præcipitandi fermenta peregrina, fermentationem & spumescentiam in M. Snea producentia, aggrediuntur & compescunt, eamque disponunt ad serosi laticis dimissionem, simulque ad aliorum recrementorum exclusionem. Quæ sententia etsi quibusdam difficultatibus prematur, tamen, quia quam proxime ad veritatem accedere videtur, etiam hic nobis amplectanda est, donec melior & magis probabilis in medium proferetur.

§. XXI.

Ex hisce recensitis patet, amplum esse sudoriferorum censum, eaque varie inter se differre, & diverso agendi modo sudorem producere. Unde statim elucet, non promiscue in quibusvis morbis, ubi sudoris provocatio indicatur, sine delectu sudorifera quævis convenire. Non enim omnia possunt omnia: sed prudenti selectu & iudicio opus est, si quis vult ea dextre & cum fructu in usum trahere, & cum laude in praxi medica progredi. Modo enim stimulo opus est, rarefactione & excitatione, quo
in

in casu volatilia urinosa conveniunt: modo calor magis excitandus & fermentatio vitalis erigenda, & tunc volatilia oleosa conducunt: modo serum spissum nimis fluxile reddendum, tunc attenuantia, resolventia, serum fundentia conveniunt: modo propter dolores, vigilias, inquietudines, jactationes corporis, sudores etiam jussi non prodeunt, & in illo casu opiata, cum sudoriferis alexipharmacis & bezoardicis, item præcipitantibus juncta, officium faciunt: modo natura fræno opus habet, & ebullitionis & turgescentiæ in massa sanguinea impetus coercendus, & tunc acida, reliquis mixta, idem absorbentia & præcipitantia fixiora, laudabilem effectum exerunt. Et hæc omnia pro diversa morborum conditione, diverso morbi tempore, diverso seri sanguinisque & habitus corporis statu, prudentis Medici judicio practico relinquuntur.

§. XXII.

Ufus sudoriferorum in variis morborum generibus latissime se diffundit, adeo ut quidam quartam partem morborum per sudorifera curari posse statuunt, imò mancam vel nullam esse medicinam, his si carere oporteat. Et quidem cum alias per sudorem serosa præcipue excrementa evocentur, & sudorifera hanc excretionem promoveant, per eam M. Sea à particulis effectis liberatur, simulque ex habitu corporis solidiore absterguntur quoque ramenta incongrua, præcipue salina, & humores excrementitii fuliginosi, à tertia coctione emergentes, vel quicquid à laudabilis nutrimenti natura degeneratum, illi molestum evadit. Contingit itaque, ut humores serosi aquei, concitatis sudoribus, per spiracula cutis, tanquàm totidem parvos caminos evocentur, & M. Sea defæctetur & depuretur, & sic sanguinis motus, calor & consistentia sui juris fiant. Sunt itaque optima universalia évacuantia, & locum habent in omni sanguinis & seri stagnati-

gnatione, extravasatione, visciditate & coagulatione, in inflammationibus & morbis ab inflammatione oriundis, in tumoribus vari generis, in sero ac sanguine à miastinate peregrino infecto, in refrananda nimia sanguinis ebullitione ac effervescencia, in serosis seu catarrhalibus defluxionibus, item ubicunque serum superfluum excutiendum, motus ac qualitas vitiosa corrigenda: in morbis chronicis ac lentis, ab obstructione & feri visciditate ac lentore lymphæ enatis, nervis & cerebro pituita obsessis, in acido hostili edomando & enervando, ad circulationem sanguinis promovendam. Conveniunt in febribus quibusvis malignis, exanthematicis, continuis, intermittentibus, imò in ipsa peste, cachectica & serosa dispositione, lue venerea, aliisque feri vitii, etiam externam corporis cutem variè afficientibus, sicuti in particulari enumeratione per præcipua capita videbimus.

§. XXIII.

In peste, morborum malignorum principe, sudorifera maximi sunt momenti; imò sudorifera cum cordialibus alternata, utramque paginam hic absolvere videntur. Et quidem sub primum statim invasionis momentum in satis effatu digna dosi medicamentum assumendum, ut largus sudor insequatur, nec somno ante indulgendum, quam alexipharmaci operatio sit absoluta; imò spatio 24 horarum aliquoties nova sudoriferi dosis repetatur, vel si, uti quandoque contingere solet, vomitu rejiciuntur, statim nova dosis offeratur. Si in ullo morbo, certe in hoc observandum est monitum summe necessarium, *principiis obsta*, ne morbus atrocissimus principia vitalia subruat. Et certe quod tam multi ex peste moriantur, præterquam quod hunc morbum tanquam flagellum Dei irati, & extremam ejus vehementiam agnoscere debemus, hæc tamen non infima causâ esse videtur, quod neglecto primo morbi initio, cum vel minima alteratio sentitur, usus

alexipharmacorum generosiorum negligatur, vel suspendatur, donec ægri decumbere cogantur, quo tempore morbus jam altiores radices egit, quam ut eliminari possit.

§. XXIV.

Pares vires exerunt sudorifera in febribus malignis pestilentialibus, petechialibus, exanthematicis, febribus castrensis, morbo Hungarico & similibus, in quibus morbis vix commodiore via, quam per sudorifera, putrida miasmata, in M. Sea concepta, eliminari possunt. Et si quidem purgantia, vomitoria, vel etiam V. sectio locum quandoque habent, (quæ tamen quo magis statio ad malignitatem accedit, eo minus conveniunt,) non nisi in principio morbi locum obtinent, reliquum morbi decursum sudorifera sibi vendicant. Quo enim natura vergit, eò, Hippocrate monente, ducendum est, per loca maximè convenientia, ut sic venenum, à centro ad circumferentiam quantocius educatur.

§. XXV.

Variolæ & morbilli vix aliter, quam per expellentia & sudorifera curari volunt: adhibita tamen cautela, ut status ebullitionis, seu despumascentiæ M. Sea, ritè observetur. Si enim ille sit in minori, quam par est, gradu, conatus naturæ juvandus est, ut sufficiens heterogenei secretio & ad habitum corporis propulsio contingat: quod per sudorifera volatilia optimè fit. Imò salia volatilia hic maxime sunt proficua, etiam in illo casu, ubi propter errorem externum, retrogressum minantur, tunc enim hostem, penetralia subruere conantem, valido impetu ad exteriora denuo propellere solent. Si vero ille ebullitionis motus intra mediocritatis leges sese continet, ita ut nec deficiat, nec excedat, tunc natura bene operante, Medicus ferè tantum spectatorem agit, vel levioris armaturæ militibus naturæ suppetias fert. Si vero illa ebullitio nimia sit, & validior, ac turbulentior, quam conducit, fixioribus & præcipitantibus, illos tumultus com-
pesce.

pefcere, imò aqueis humectantibus calorem p. n. inde oborientem, temperare niti debet. Quo in casu emulſiones ſudoriferæ egregiæ ſunt, pulveres item fixiores, v. c. pulv. pannonicus ruber, Sabaudicus, lapis bezoar, unicornorum foſſile, Δ ſigillata, & hiſce ſimilia.

§. XXVI.

Uti ſudorifera in genere loquendo, februm quarumvis fere ſunt panacæa, ita in intermittentibus ſumme ſunt proficua. Præcipue vero hic magis fixiora vel media conveniunt, ne per improvidum volatiliū uſum (rarefacta nimis maſſa ſanguinea) in continuas degenerent. Sic quartana, Medicorum ſcandalum alias dicta, ipſa hiſce obedit. Seligenda tamen talia, quæ humorum lentorem & viſciditatem corrigere & fundere valent; uti ſunt cinnabarina, mercurialia flores \ominus * ci, tam ſimplices, quam Sales, ſalia fixa alcalia, arcan duplic. Mynſ. Neque etiam omittenda, quæ viſcerum obſtructiones, ab humorum craſſitie productas, referare valent, unaq; tincturam peregrinam impreſſam, eradicare. Quo referenda ſunt radices & herbæ amaræ, v. c. gentianæ, ſeſeli maſſilienſis vel libanotidis albæ, herb. card. B. abſinth. fumar. flor. centaur. min. cortex chin. chin. fraxini. &c. quorum tamen uſus diuturnus ſatis in pertinaci hoc morbo requiritur.

§. XXVII.

Tertianæ & quotidianæ abſorbentibus & præcipitantibus facile obediunt, ſi rite tractantur, nec ab ægroto error committitur. Sic & febres ephemeræ & ſynochus ſimplex, ſæpe abſque ope medicamentorum, à natura ſua ſponte ſolutionem per ſudoris effluxum moliente, terminari ſolent. Et ſi ſingulos februm intermittentium paroxyſmos, quomodo deſinant, obſervaverimus, videbimus illos ſudore, per totum corpus ſuperveniente, ceſſare: manifefto indicio, viam hanc, à natura monſtratam, convenientiſſimam eſſe pro eorum depulſione. Pariter

curatis jam per aliquot hebdomadas hisce febris , si transpiratio non libere processerit, ægri recidivam facillime incurrunt. Id quod in frigida & humida cæli constitutione, si corpus frigori exponitur, toto die contingit, & febres autumnales atque hyemales plerumque diuturnæ magis prævernibus & æstivis esse solent: imo febres, quibus transpiratio prohibita occasionem præbuit, vix alia ratione, quam per sudorifera curari possunt.

§. XXIX.

Febres symptomatice, principaliter sudorifera exposcunt. Hinc si quis ab hoste, aut herniotomo, calculumque extrahente graviter vulneratus, febricitat, ut varia symptomata, dolores sc. vigiliæ, convulsiones &c. vitæ periculum minitantes, præcaveantur, opus est, ut corpus continuo sit perspirabile. Id quod partim per bezoardica mediæ generis, partim per fixiora, acidum absorbentia, decocta item travmatica, & ex alcalicis parata, optime expeditur. Quapropter Arnoldus de Villanova, *doctr. s. c. 16. aph. 1.* recte affirmat, vulneratis, quibus intra corpus sanguis recenter coagulatur, potionem resolutivam, *sudorem provocantem*, cito conferre. Quod etiam in casu ab alto, & multo magis in puerperis locum habet: quæ, effato celeberrimi Waldschmidii, eadem ratione sunt tractandæ, ac vehementer vulneratæ, febresque earum & alii morbi, ex transpirationis prohibitione orti, optimè sudoriferis curantur, præcaveanturq; Ulcera graviora, vel in partibus nobilioribus hærentia, febrem nonnunquam, tanquàm individuum comitem, secum trahunt: cui, cum ab acido, in parte affecta hærente, & putridis humoribus, massæ sanguineæ inde communicatis, oriatur, per absorbentia, diaphoretica, & putredini resistentia commodissime prospicitur.

§. XXIX.

Febres, quæ inflammationes insigniores insequi solent, præter alia præsidia revellentia, discutientia &c. etiam

iam sudorifera requirunt; ibique; ad stagnationem sanguinis expediendam. grumescentiam resolvendam, acidum ligans enervandum & excutiendum, bezoardica volatilia ab initio conveniunt; quorum usum tamen fixiora insequi debent. Sicuti hoc in pleuritide præcipue observandum esse, multi ex recentioribus monent. Erysipelas unice à sudoriferis auxilium desiderat. Et quamvis ab initio instar febris ardentis affligat, quam primum tamen materia peccans foras vertitur, & ægroti sudorem procurant, symptomata gravia sensim remittere solent; quo in affectu, præter alia sudorifera, sambucina præcipue laudari solent.

§. XXX.

In catarrhis & defluxionibus serosis per sudorifera factæ evacuationes, præmissis præmittendis, sunt optimæ. Serum enim, seu lymphæ vitiosa, catarrhorum est materia; quæ simulac cum sanguine per arterias ad partes molles affertur, & ex impedito refluxu stagnat, varios affectus, plus minus dolentes infert: si vero ex glandulis in certa loca effunditur, tunc defluxiones catarrhales constituit. Præcipue vero caput, partesque in illo consistunt propterea catarrhis sunt obnoxia, quod glandulis feri secretoriis & excretoriis copiosissimis scatent: unde lymphæ in hisce partibus vel nimis abundanter exclusæ, vel vitiosè simul præparata catarrhos constituit. His accedit, quod hæc partes injuriis & læsionibus aëris externis valde sint expositæ: unde clausis poris, id, quod insensibiliter alias exhalare debebat, consistit, & in lympham acrem spissatur. Hin si inde cerebro, faucibus, asperæ arteriæ, naribusque; & consequenter etiam pectori ac pulmonibus molestiæ creantur, sudorifera conducunt, quæ serum minuunt, corrigunt & partes simul roborant, fordesque abstergunt. Talia sunt decocta lignorum, præcipue vero ex saffras (quod aliquibus catarrhorum ale-

xipharmacum audit) paratae, sentia item lignorum & alia juniperina, sambucina, succinata, absorbentia & præcipitantiâ, aromatica & balsamica; quibus, pro re nata, opiata etiam non incommode adduntur; cum optima fluxionum remedia existant.

§. XXXI.

Si in doloribus capitis cerebrum multis aqueis excrementis abundat, ut Platerus, *prax. lib. 2. de dolore capitis c. 3.* loquitur, sudorifera ab intimis locis ea evocant, & à Sennerto, *prax. lib. 1. part. 1. c. 11.* certissimum prophylacticum & curativum remedium doloris, aliorumque capitis morborum, à seroso humore ortum habentium, nominantur, & in ophthalmia, gravedine, uvulae & amygdalorum tumoribus, doloreque; dentium multiplicis sunt usus. Schenckius, *lib. 1. observ. 96.* vertiginem difficilem & frequenter recurrentem, decocto corticis & ligni quajaci, additis cephalicis & nervinis curatam, ex Cardano refert. Ita epilepticos se curasse testatur Leonhardus Jacchinus, *in nonum. Rhasis*, allegante Sennerto, *lib. 1. prax. p. 2. c. 31.* ubi simul de usu sudoriferorum in epilepsia agitur. Pariter Wolg. Hoëferus, *Hercul. medic. lib. 1. p. 10.* in epilepsia usum ligni ex Hortio commendat, & August. Thonnerus, *lib. 1. observ. p. m. 94.* in epilepsia, colicæ succedente, svasit decoctum ligni sancti & sarsaparilla: unde erumpentibus sudoribus valde foetidis, & adstantibus abominandis, continuato per mensem usu, convaleuit. De usu vero decocti lignorum in hoc morbo prolixè agit Scholzius, *consil. 40. toto*, ubi simul circumstantias, in usu ejus hic observandas, profert.

§. XXXII.

In paralyti sudoriferorum usum suspectum reddit Ludovicus Septalius, *lib. VII. §. 74. p. 156.* quod hac ratione per sudores parte tenuiore exsoluta, crassior magis calvescat & crassior reddatur, unde magis obstruat & difficili-

lior

lior reddatur ad motum & evacuationem, inque suæ sententiæ confirmationem Hippocratis, in *coac. prænot.* testimonium allegat, qui morbum hunc urinis, repente multis & abunde prorumpentibus, exsolvi, à sudoribus autem confertim manantibus in deterius ruere inquit. Sed cum urinæ & sudoris eadè sit materia, monitum Septalii ita accipere possumus, ut vitemus diaphoretica, quæ tantum tenue serum excludunt, relictis magis crassioribus, vel ne solo externo calore paralyticos ad sudandum cogamus; sed talia adhibeamus, quæ simul vim possident incidendi, attenuandi, viscidum & glutinosum fundendi, & poros nervorum referendi; non neglectis cephalicis, aromaticis & roborantibus. Atque hac cautela adhibita tantum abest, ut obsint sudorifera, ut potius summe sint proficua: non tantum internè, sed etiam externè, in balneo scilicet ex convenientibus parato: quo in casu etiam thermæ quædam laudantur. Quapropter, si rectè usurpantur, Crato apud Scholzium, *consil. 50.* sudores unum vel maximum (*Ægineta teste*) in paralyti remedium meritò vocat.

§. XXXIII.

Lues venerea, atrocissimum scortatorum flagellum, sudoriferis potissimum auscultat, & quidem vix alii tam frequentes & continuatos sudores perferre poterunt, ac hac lue infecti. Cum vero hic singularis visciditas, acrimoniæ peculiari juncta, in lympha & massa sanguinea observetur, ad utramque respectus est habendus, absolventque mercurialia, variè præparata, utramque paginam: quibus junguntur decocta lignorum, quæ simplici modo, ex solo ligno sancto & iassafras legitime parata, prolixioribus compositionibus sunt præstantiora. Hinc etiam hodie rudi quodam infuso vegetabilis alicujus cremati, & pulvere minerali fixo, mentis upius vel alterius spatio, per blandam diaphoresin ac diuresin gallica
lues

lues extirpatur, ut raro mercurio aliquò præcipitato ad ulcera opus sit.

§. XXXIV.

In scorbuto vel vappescentiam esse feri, vel lentorem quandam, vel acrimoniam salinam, muriaticam, acidam &c. satis ab eruditissimis scriptoribus probatum est, testanturq; sudores falsi, acidi, dolores, pruritus, exanthemata, ulcera &c. Ad hunc characterem, sero impressum, delendum expellendumque, præter reliqua auxilia, sudorifera in subsidium etiam una vocantur, ubi modo fixiora absorbentia, modo volatilia spirituosæ, pro diversa feri conditione, & inprimis infusa & decocta, hæctenus laudata & diu usurpata, conducunt.

§. XXXV.

In arthritide, ischiade, podagra & congeneribus affectibus, particulæ tartaræ, acidæ, muriaticæ, ad articulorum partes, exquisito sensu præditas, deponuntur. Ubi præcipitandæ & absorbendæ sunt per terrea fixiora, alcalina, simulque invertendæ & obtundendæ, per sulphurea, balsamica & gummosa. Estque sudoris & urinæ provocatio adeo necessaria, ut, ex observatione magnifici Wedelii, *Amænit. M. M. lib. 1. sect. 3. c. 10. ii.*, quibus diaphoretica & diuretica adhibentur in paroxysmo & extra eum, insigniter his leventur, & citra hæc arthriticos curare plane sit frustraneum. Unde Crato, apud Scholizium, *consil. 24.* affirmat, in arthritide procul dubio paroxysmum vel procurari, vel augeri, si in eo sudor detineatur, ut reliquæ humoris ferosi in venis non discutiantur: contra breviorum fieri paroxysmum, si per sudorem ferum discutatur. Sic in arthritidis præcautione sudores matutinos utilissimos censet Sennertus, *de arthritide*. Pariter, quoad externa, conveniunt ejusmodi resolventia nervina, quæ poris apertis humores, in partibus stagnantes, blande evocant, simulque articulos roborant.

Quo-

Quomodo balnea artificialia & thermæ, hic convenient, consuli meretur Wedelius, *l.c.*, de usu autem vinaceorum, tantopere in arthritide & ischiade celebrato; Donatus Anton. ab Altomari, *in peculiari tractatu.*

§. XXXVI.

An sudorifera in hydrope locum habeant, dubium quibusdam videtur, partim quod Hydropici difficillime ad sudores adigantur; partim etiam, quod seri major copia & quantitas adsit, quam ut per habitum corporis excludi possit. Quibus & hoc accedit, quod serum non amplius in vasis sit, sed in cavitate partium sit profusum, unde per vasa ad ambitum corporis protrudi non possit, & sic sudoribus nihil agi, quam ut spirituum resolutio & virium dispendium inde, nullo cum emolumento, inferatur: ideoque pro deplendo sero, purgantibus potius hydragogis & diureticis insistendum, interpositis illis, quæ obstructions aperire, & viscerum tonum roborare queant. Enimvero, sicuti purgantia cum magna circumspectione hydropicis præscribenda sunt, ita non omnis laus sudoriferis ibi præripitur: ita tamen, ut magis convenient in hydrope, ad anasarcam accedente, quam ubi in cavitates corporis serum est elapsum. Quod vero signum bonum, & hepatis atque lienis nondum induratum nota censeatur, si sudor hydropicis sponte ac per medicamenta supervenerit, & æger alleviari se senserit; sudorisque defectum contrarium indicare, legimus apud Fernelium, *lib. 4 de febribus c. 10.*, & Wepferum, in epistola ad Henric. Pauli, *hujus anatomie Bilsianæ anatomie annexa p. 98.* Conveniunt itaque juniperina, sambucina, decocta lignorum, milii, potiones lixiviosæ, salia fixa alcalina &c. quorum usu diuresis simul promovetur. Nec desunt exempla felicitis effectus, apud Præcticos, inter quos Schenckius, *lib. 3. cap. de hydrope observ. 138. p. m. 184.* allegat hydropicum, per sudores spontè excitatos, &

D

quasi

quasi destillantem aquam evadentem. Pariter refert Ettmüllerus, *in praxi*, ex Langii epistolis, & Lipsio de *bydrope*, rutticum hydropicum, clibanum pistorium, adhuc calidum irrepsisse quotidie, ibique mediante sudore sanatum esse. Quo in casu serosa excrementa, in cavitate partium, & præcipue abdominis, stagnantia, in venas resorberi videntur & exinde ad superficiem corporis protrudi.

§. XXXVII.

In diarrhœa, fluxu hepatico, dysenteria, aliisque alvi fluxus generibus, sudorifera insigni cum emolumento exhibentur, & magis tunc necessaria sunt, si metus malignitatis cujusdam subest. Videmus quoque, nonnulla adstringentia fixiora, austera & terrea, in hisce casibus exhiberi solita, simul diaphoreticam virtutem possidere, & ex. gr. radicem bistortæ, tormentillæ, & sigillatam, Japonicam, non tam adstringendo, sed absorbendo, obrundendo & sudorem provocando prodesse. Præterea quo calidius servatur corpus, & transpiratio est copiosior, eo melius sese habent ægroti; si vero refrigerantur, transpiratio impeditur, tormina & secessum numerus statim augetur. Hinc sudorem, tam per se prodeuntem, quam diaphoreticis provocatum, in dysenteria epidemica p. m. maligna propè attendendum esse, monet Ettmüllerus, additque, à dysenteria, ante aliquot annos epidemicè grassante, Pastores paganos rusticos suos sudoriferis, præcipue trinctura bezoardica, liberasse, aliumque dysenteria maligna laborantem, per sæpius repetitum sudorem fuisse curatum, & Petræo teste, in Nosologia, Hermetici dysenteriam non tam purgantibus, quam diaphoreticis potius extingvendam esse censent. Et sane cæteris paribus, ab invasionis initio largum statim sudorem per assumptam tincturam bezoardicam, cum Ess: anodyna, vel alio conveniente mistam, provocare, non inconveniens videtur; quia D, Le Monniere refert, primis mor-

bi diebus in dysenteria epidemica sudorem, sponte prodeuntem, vel debito sudoriferorum usu prolicitum, plerumque fluxus violentiam interceptisse, humoresque serofos per cutem propulsiſſe.

§. XXXVIII.

In scabie, pruritu, exanthematibus & efflorescentiis variis, maculis scorbuticis, aliisque affectibus cutaneis, elephantiaſi item & ulceribus sordidis, sudoriferis nihil utilius est. Serum enim ſalsum, muriaticum optime his corrigitur. Decocta lignorum, hic sunt convenientissima, ſimiliter eſſentia lignorum, tinctura. Si ſp̄ſata, eſſent. myrrhae, ſuccini, tinct. baſſami indici, nec non fixiora abſorbentia & praecipitantia, ac cinnabarina & mercurialia alia, antimoniata, ſulphurata, ut & viperina eſſicaciam ſuam ſatis probant, ut externa, balnea medicata ſc. ſudores in domunculis excitatos, thermas, aliaque nunc taceam.

§. XXXIX.

Quandoque ſudorem è certis tantum corporis partibus male affectis, non vero ex toto elicere intendimus: id quod in rheumaticis ad hanc vel illam partem, defluxionibus, ſeri & lymphæ ſtagnatione & extravafatione, inflammatione, ut & doloribus fixis circumſcriptæ & determinatæ cuiusdam partis, uſu quandoque venire ſolet. Perficitur iſtud ſotu vel ſolius aquæ calentis, vel lactis, vel decocti plantarum, cum aqua aut vino parati, addito nonnunquam etiam ſpiritu vini. Applicatio fit ope ſacculorum, quibus plantæ incluſæ ſunt, vel etiam pannorum complicatorum, & ſpongiarum liquoribus imprægnatorum. In quibusdam caſibus, ubi actualis humiditas metuitur, liquor vel decoctum veſicæ bubulæ includitur, quæ ad medium liquore calente repleta, parti fovendæ applicatur. Hæc autem omnia non diutius relinqui ſuper partem affectam debent, quam actuali calore pollent, & antequam frigere incipiunt, vel

D 2

denuo

denuo sunt calefacienda, vel alia calida in priorum locum assumenda. Exagitur hoc pacto materia, in parte stagnans, & fluxilis redditur, porique simul laxantur, ut natura eam sub sudoris ac vaporis forma expellere queat.

§. XL.

Non minus quoque siccorum ope idem præstatur, quando sacculi, foliis, floribus, seminibus &c. referti & calefacti parti admoventur. Sic quandoque solum sal vulgare tostum seu decrepitatum, vel sacculi surfure, sale, milio &c. repleti applicantur, ad sudorem elicendum. Demum huc spectant quoque frictions, cum panis calidis; ubi nonnunquam simul fit partium cum spiritu viui, vel aliis liquoribus spirituosissimis; oleosis ac penetrantibus, discutientibus & resolventibus unctio. Ut nunc de emplastris diaphoreticis nihil dicam; cum ordinarie sub emplastris exhalationes, alias in auras insensibiliter abeuntes, retineantur, inque guttulas colligantur. Petrus Borellus, *cent. 1. observ. 35. sudorificum facillimum* parat ex alni foliis, quibus implentur sacci, folique exponuntur. Hi postea vel totum corpus, vel partem tegentes, sudores copiose & sine mora inde provocare dicuntur.

§. XLI.

Ante exhibitionem sudoriferorum videndum, an primæ viæ saburra vitiosorum humorum sint repleta; quia tunc alia sunt præmittenda, & sentina per vomitum, vel secessum everri debet; ne diaphoreticorum virtus impediatur, aut simul cruditates in M. Seam abripiantur: ut illis acciderè solet, qui mox post cibum corpus valde movent ad sudorem, ut scabie alisque vitiis cutis corripiantur. Quando vero primæ viæ crassis, viscidis, acidis humoribus sunt obfessa, nec tamen cathartica tuto adhiberi queunt, tunc sudoriferis præmittantur attenuantia, incidentia, præparantia, absorbentia, digesti-

va

va. Imo plethora presente sæpius conducit copiam sanguinis imminuere, & portionem ejusdem per venæ sectionem extrahere, ut reliqua massa commodius regi, & sæcure in motum concitari possit.

§. XLII.

Videndum porro in sudoriferorum exhibitione, quid valeant vires, quid ferre recusent. Efficax enim sunt remedium, & vires robustas vel saltim sufficientes exposcunt, dum apertis cutis spiraculis simul aliquid spirituum & calidi dissipatur, imo nisi motus in rebus observatur, facile corporis dissolutio insequitur. Distinguendum tamen inter vires *resolutas* & *oppressas*. Quippe in malignis, ubi statim summa virium debilitas, malignitatis præcipuum indicium urget, tantum abest, ut sudorifera prohibeantur, ut potius valida, imò brevi aliquoties repetita exigantur, si priora non satisfecerint: neque etiam tunc virium debilitas inde metuenda est, quia hæc à malignitate oppressa, à sudore largo inæquante, & veneno simul expulso, potius redduntur fortiores. Unde verissimum est Rolsincii effatum, eum, qui peste correptis, spatio 24. horarum, quater vel sæpius sudorem non excitat, parum profecturum esse.

§. XLIII.

Homines tenioris constitutionis, ad tabem proni & biliosi, crebros aut nimis protractos sudores, nimisque calida sudorifera non ferunt: cum, secundum Hippocratem, *lib. 2. de vict. ratione*, sudores omnes exeuntes siccent & attenuent, corpusque humore privent. Deinde nec habitu obeso præditi, quamvis facile sudent, æque tamen sudoriferis multum læcesiri debent, quia propter pinguedinem vasa sanguifera, respectu reliquæ corporis molis, angustiorea habent, & à commotione anxietates præcordiales ac suffocationes patiuntur. Ut ex anhelosa & curta respiratione patet, quam curtas ac

conſenſio locorum acclivium iſtis excitant, habetque Sam. Ledelius, M. N. C. Dec. 2. An. 9. obſ. 126. exemplum ſeminae pingvis, ab imperata ſudatione vita functae. Corpora autem pituitoſa, quae humoribus abundant, & mollem laxamque cutem, aut habitum rarum, facile perſpirabilem & vaſa ampla habent, ad ſudorem aptiora exiſtunt. Aetas puerilis, graviditas, puerperium modificant ſudationes, ut mediocres tantum admittant. In omnibus etiam ad *conſuetudinem* eſt reſpiciendum, & quaerendum, an alias facile vel difficulter ſudaverint: inde enim cognoſcitur, an non tantum permittatur, ſed etiam indicetur hoc auxilii genus.

§. XLXIV.

Ad ſudoris protruſionem aegroti non ſunt cogendi. Dantur enim homines vix unquam ſudantes; quorum cutis media aetate, inter maximos labores ſemper aret, allegatque Sam. Ledelius, l. c. ſeminam Grünbergensem, ex qua prius vitam, quam ſudorem quis extorſiſſet. Qui vero humores reſolubiles & cutem tractabilem habent, ne utiquam tamen nimis diu in ſudatoriis detinendi ſunt, donec ſcil. virium exſolutio, lipothymia, ipſaque mors ſequatur. Cujus rei duo triſtia exempla idem Ledelius annotavit. Quippe porrexerat Medicus Juveni, 18 annorum, medicamentum, ut per ſex horas continuas ſudaret: cum vero poſt bihorium viribus deſtituto, & frigidam vel ſinem ſudoris petenti utrumque negaretur, exhalabat miſer animam. Virgo nubilis adeo ſub lecto ad ſudorem cogebatur, ut inter deliquia animi mortuis aſſociaretur. His jungi meretur hiſtoria, quam B. Rolſinc. Ord. & M. M. ſpecial. commentat. lib. 6. ſect. 1. c. 11. habet de Principe, quem, in ſtupeſa ſudorem omni vi elicere cupientem, accenſi vapores ſpiritus vini extinxerant. Sic illuſtris Wedelius recenſet exemplum de juvene, qui, cum leve huiſ venereae initium pateretur, & Empyricus illum

con-

DE SYDORIFERIS. 31

continua sudatione pluribus hebdomatibus urgeret, rarefacto hinc nimis sanguine, viribusque exhaustis, fatis cedere coactus fuit.

§. XLV.

In ipso sudandi actu probe etiam videndum, ne calore nimio vires ægroti resolvantur. Licet enim calor ad sudoris provocationem multum conferat, tamen is ita moderandus est, ne vires, quorum conservationi Medicus potissimum studere debet, prosterantur. Neque enim à solo calore ambiente, sed etiam ab interno impellente medicamento sudor excitari debet, si eum proficuum esse volumus, & peccatur hoc in casu toto die, dum stragulis ita corpus obtegatur, ut sudantes vix respirare possint, & hypocaustum ita simul intense calefit, ut aer ad respirationem vix sit aptus, & fanissimi etiam, diutius ibi commorantes, deliquium animi incurrant. Sic miserime sæpe torquentur ægroti febricitantes, præcipue vero variolis & morbillis laborantes, ut nimia adstantium cura nullam per respirationem, refectioem obtinere possint, & in ejusmodi facile solubilibus corporibus virium insignè dispendium sequatur, imò plures hac ratione animam exhalare, cogantur. Hinc etiam sudores, quos in balneis laconicis *solus calor externus* prorit, non adeo probantur: quia, si medicamenta simul offeruntur, ea non tantum sudorem provocant, sed internum simul humorum vitium corrigunt, invertunt, & peregrinas tincturas, lymphæ & sanguini impressas, ac fermenta maligna extinguunt, quod per *solum* ambientis calorem non æque obtinetur.

§. XLVI.

Quod si æger in lecto sudori operam dat, ad collum usque probe stragulis tegatur, (solum enim brachio vel pede exserto, sudoris effluviu[m] etiam in reliquis partibus coercetur) brachia corpori admoveantur, crura atrahantur, ore simul stragulis subjecto, & corpus quietum tene-

teneat; quia à jactationibus sudor impeditur. Si nec hac ratione sudor sequitur, lapides calefacti, linteisque obvoluti, sub brachia & inter femora admoveantur, vel lagenæ stannæ, aut vesicæ aqua calida plenæ. Eo vero tempore à cibo & potu abstinere melius est, mixturæ tamen cujusdam roborantis & cordialis cochlearia aliquot, vel aliud quoddam reficiens; v. c. bucella panis albi in vino intincta, concedi possunt. Sudandi finis erit, monente Paræo, cum vel exfolvi incipient vires, vel refrigerari manans humor. Male vero consulunt ægrotis, qui per 4. l. 5. horas sudorem continuare jubent, ubi sufficere potest unica vel altera ad summum. Cavendum enim, ne carnes nimia diaphoresi colliquantur, & animus deficiat tandem langvore: sed tantum sudori indulgendum, quantum natura ferre potest. Argumentum hujus pulsus plenum & sui juris Rolsincius statuit.

§. XLVII.

Melius quoque est, sæpius mediocriter sudores movere, quam una vice modum excedendo, vires prosterne-
re, nec inutile consilium videtur eorum, qui in morbis, unica sudoris provocationi non cedentibus, prima vice sudoriferum in larga satis & justa dosi propinant, ut sic sudor insequatur; deinde vero, ad hujus excretionis ulteriorem provocationem, singulis 2 vel 3 horis aliquot cochlearia mixturæ cujusdam sudoriferæ præscribunt, ut sic continua quidem, sed lenis saltem ad circumferentiam, propulsio contingat. Prima enim vice, monente Rolsincio, sanus est in multa, quam pauca quantitate ea exhibere, ne materia solum agitetur, sed etiam expellatur. Mota enim quandoque, sed non promota materia, nec sudore medicamentum insequente, sæpe pejus habent ægri. Circa quantitatem doseos medicamenti videndum, ne leviori morbo validius opponatur sudoriferum, vel contra. An vero quantitas humoris educendi indistorum numero de-

DE SYDORIFERIS.

ro definiri debeat, uti Walæus in sua *meth. med.* proponit, ita ut infimus gradus sit, si unum tantum indusium seu linteum madefactum sit, mediocris, si duo, summus vero si tria; id prudentiæ Medici reliquendum esse iudico, cum raro locum habeat.

§. XLVIII.

Quo tempore sudores sint ciendi, etiam observandum est. Et quidem utiliter in morbis summe malignis & pestilentialibus statim ab initio morbi sudorifera alexipharmaca exhibenda & sudor imperandus, ut sic quantumcyus veneni virulentia principis vitalibus inimicissima, quam remotissime per ambitum corporis extrudatur: cum reliqua universalia præsidia, aliis morbis præmitti solita, hic vel sint nociva, vel certe minus secunda, & in solis sudoriferis alexipharmacis unica spes salutis resideat. In reliquis, ubi malignitatis metus adest, monente Fernellio *lib. 4. parbol. c. ult.* non equidem commodum tempus est principium morbi, ubi humores crudi & sudores ante coctionem sæpe numero irriti sunt, quibus nulla fida solutio morbi committi potest: sed toto die, cum levamine & optimo successu, mox in limine invasionis per tincturam bezoardicam, pulverem C. B. rob sambuci, similiaque sudor excitatur. Rectius tamen, non nisi præmissis præmittendis, sudorifera exhibentur, & coctione præsentem vel apparentem, sub initium status, vel finem augmenti, quo tempore ipsa natura sequestrationem inutilium & eorum excretionem molitur. In morbis, accessiones habentibus, & per periodos invadentibus, commodissimum tempus videtur paroxyfmi declinatio. Tunc enim natura Medico auxiliatrices manus porrigit, quæ ipsa tunc humores ad ambitum corporis trudit. Non inutili tamen consilio pulveres antifebriles & abortivæ fixiores aliquot horis ante invasionem febris exhibentur.



§. XLIX.

Circa utendi tempus etiam notandum, ut ventriculo vacuo, & chylo jam confecto assumantur, ne humores crudi in venas & universum corpus rapiantur. Commodissime igitur summo mane sudatio instituitur; ut ea per somnum matutinum ulterius promoveatur. Reliquo autem diei tempore, cum coctio ventriculi absoluta, & alvi & vesicæ excrementa deducta sunt. Huc referri non inconcinne potest effatum Celsi, *lib. 1. c. 2.* quando inquit, qui non concoxit, ex toto quiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque negotio credere debet, nisi periculum §. 41. indicatum, incurrere voluerit. Et cum circa tempus exhibendorum medicamentorum aliud sit *necessitatis*, aliud *electionis*, si affectus ipse dilationem patitur, & per plures dies sudori vacandum, optimum tempus videtur esse vernum, post autumnale, minus commodum æstivum, omnium minime hyemale.

§. L.

Indicavimus in antecedentibus, quibus subjectis sudorifera convenient, & §. 43. eos nominavimus, quibus cum circumspectione singulari dari debent. Nocent autem sudorifera omnium maxime phthificis, tabidis, hecticis, ad marasimum inclinantibus, ideo, quia in his nutriens roscidum & humidum absimitur, & alias hi ægroti ad sudores colligatos facile sunt proni, ut inde corporis contabescencia, summa debilitas, & spirituum dissolutio insequetur: facillime enim hi sudant, & si vel lenissime corpus tegitur, aut quamprimum in somnum inciduat, vix clausis oculis, sudoris profluvium adest; adeo, ut potius sudoribus coercendis, quam iis provocandis studere debeat Medicus. Nec in contrarium allegari potest exemplum, quod Olaus Borrichius, in *Act. Hassn. vol. 1. obs. 70. p. 155.* de muliere phthifica pene desperata habet; quæ post febre petechialem, abortis sudoribus matutinis, atramenti in-

star



Laudibus excitus dudum me-
ritisque paternis,
Ingenio, studio, nobilis ar-
te pari:

Hisce Tuis monstras dignum sudori-
bus ortum,
Arboris vt germen fructibus exi-
miæ,

Salais hos plausu genuinos læta labores
Excipit, & capiti præmia digna pa-
rat.

Macte nouis titulis superabis laude pa-
rentem,
Quos Tibi felices nostra Camœna
vovet.

Nobil. &

*Clarissimo Dn. Doctorando, ob pietatem, modestiam,
eruditionem, candorem longe carissimo, ex animo
applaudit*

Georgius VVolfgangus VVedelius.

Omnia

O*mnia fecisti*, Medicum quæ poscit Apollo:
Omnia fausta *TIBI* gratus Apollo dabit.

Egregios conatus nobilissimi Dn.

ALLMACHERI

Medicine Doctorandi dignissimi,

commensalis & amici sui

suavissimi,

fausto omine prosecutus

scrib.

M. Johannes Guilielmus Bajerus,
Fac. Philos. Jenens. Adjunctus.

Multa diuq; tulit, studuit, sudavit & alsit
Sedulitas, tandem nunc superavit onus.
Cur *sudoriferum* laudas, *VIR DOCTE*, leva-
men?

Scilicet & labor hic nomen & Omen habet:
Namq; ex illorum numero est industria, queis fit,
Largus ut è toto corpore sudor eat.
Qui studiis *sudare* solet, *recreatur* ab ipsis:
Vnde refrigerio *TE* quoq; *Musa* beat.

*Nobilissimi Dn. Doctorandi laudabiles studiorum
sines gratulabundus ita prosequitur,
paucis multa precatus*

Johannes David Baierus,
Jenensis.

